

ratio ac disciplina. arg. l. fin. ff. *de Acceptil.* l. fin. c. *Indict. viduit.*; Barbosa, *de Axiomat.* vers. *Correlativa.*

131. Resp. II. Si foemina in culpa, et causa non est quod a nubendo excusetur deceptor, ut si ex matrimonio gravia orientur scandala, tenetur eam ita dotare, ut damnum, si quod est illatum, sufficienter compensetur, ita sentire videtur Sanchez, loc. cit. n. 9, et doctores supra citati. Ratio est, quia, uti supponitur injuste damnificavit: ergo tenetur damnum resarcire modo, quo potest, arg. c. fin. *Injur. et damno dat.* cum concordantiis: consequenter si non potest nubendo, tenetur restituendo per dicta n. III., nisi damnum passa ipsamet indignam se reddat, sicque eximat damnificantiem a restitutione, ob dicta n. praeced. Confirmatur conclusio ex dictis supra n. 71, arg. c. 1, *de Adult. et stup.* vi cuius quilibet virginem, quam seducit, tenetur ducere, vel dotare; atqui talis vel maxime virginem seduxit, qui sub ficta spe matrimonii eam ad copulam persuasit: ergo.

132. *Clericus vel uxoratus sub ficta spe matrimonii deflorans aliquam, tenetur eam dotare, et quomodo?* — Queritur VII. Ad quid teneatur clericus, et maritatus, qui fingens se solum laicum, sub ficta promissione matrimonii a foemina obtinet copulam? Respondetur teneri dotare puellam in tantum, in quantum requiritur et sufficit ad resarciendum damnum, si quod inde passa est decepta. Sanch., loc. cit. n. 13; Sylvester, vers. *Luxuria*; Ledesma, *de Matrim.* q. 43, a. 4, dub. 1, *ad Confirm. tertii.* Ratio est, quia omnis injuste damnificans tenetur ad restitutionem, arg. l. un. c. *de Sentent. quae pro eo*, et c. fin. *de Injur. et damno dat.* juncto can. *Si res aliena*, cau. 14, q. 6, ergo etiam positi in conclusione. Quod si vero puella damnum exinde nullum patitur, ad nihil tenetur in foro interno, bene tamen in foro externo per dicta supra n. 93.

133. *Quis teneatur alimentare prolem.* — Queritur VIII. Quis teneatur alimentare prolem, casu quo impraegnetur puella, et impraegnans non ducit impraegnatam, puta, quia vel non potest, vel non tenetur, vel inique recusat? Resp. quamvis satis communis sit doctorum opinio, ut videre est apud Covar. *de Sponsal.* p. II, c. viii, § 6, n. 19; Less. lib. II, cap. x, n. 42, qui cum Glossa in c. fin. *de Conversione infidelium* docent, hujusmodi prolem primo triennio

ali debere a matre, postea a patre juxta vulgares versiculos a Glossa ibidem adductos:

Mater alit puerum trimo, trimoque minorem
Majorem trimo pascere, patris erit.

arg. l. *Nec filium*, 9. c. *de Patria potest.* Rectius tamen dicitur, obligationem alendi prolem utrique parenti incubere ordine, tamen successivo, ita ut prius teneatur pater, mater vero tantum in subsidium, si nempe pater ex defectu mediorum non potest, aut malitia non vult alimentare, et non alimenta prolem Barb. in c. *Cum haberet* 5, *De eo, qui duxit in matrim.*; Surd. *de Aliment.* tit. I, q. 15, n. 11; Sanctorell. *Var. resolut.* lib. I, q. 33; Covarr. et alii arg. cit. c. *Cum haberet*, 5, h. t. Ad vulgares illos versiculos dicitur, esse ita intelligendos, quod cum proles ante triennium a mamma depelli tunc non consueverit, matri impositum sit praefato triennio lac praebere proli; non vero quasi mater deberet etiam reliqua v. g. lectum, vestitum, habitationem, etc. primo triennio praestare; ad haec enim omnino obligatur pater, et primum in defectu hujus mater, prout bene advertunt laudati doctores; veram de hoc amplius lib. V, *de Adult. et stup.*

134. *Renuens matrimonium, ad quod obligatur, an, et quomodo compellendus. Remissive.* — Queritur IX. Quid juris, et quomodo compelli possit ac debeat, qui ob seductionem puellae ad nubendum obligatus, nubere renuit? Resp. ad hoc quaesitum patere § seq. n. 132.

Et haec de defloratione, ac seductione foeminarum atque de obligatione inde proveniente, praesertim dote constituenda, paulo prolixius, et nonnunquam cum aliqua repetitione pro majore claritate dicta sint, eoquod materia haec in foro tam interno quam in externo identidem recurrit; ob quam causam etiam breviter recapitulare placet dicta in hoc paragrapho, ut in compendio habeatur notitia totius hujus materiae summe practicae.

135. *Compendiosa recapitulatio de obligatione ducendi, vel dotandi cum vel sine spe matrimonii seductam.* — Porro compendiosa itaque notitia notandum in causa deflorationis aliter esse discurrendum, si fiat absque promissione matrimonii; aliter si fiat sub spe, ac promissione matrimonii. Et de utroque aliter pro foro interno, aliter pro foro externo,

Nam loquendo de casu, quo fit defloratio aut seductio sine spe aut promissione matrimonii quoad forum externum, si quis fraude, aut metu injuste incusso, aut importunis precibus virginem seducit, eam ducere, vel dotare tenetur juxta dicta supra n. 71, et seqq. Si vero puella virgo non est, nec pro tali communiter habetur, in foro externo ad nihil tenetur n. 79. Sicut neque, si puella alias est malae famae, aut minus honestae vitae, n. 80. Nisi etiam haec ex tali seductione damnum revera pateretur n. 82. Qui seducit talem, quae virgo quidem non est, pro tali tamen communiter habetur, eam dotare, vel ducere debet, n. 85. Praesumitur autem quaevis virgo, n. 84, et seducta, n. 85, nisi contrarium probetur. Seducens absque promissione virginem veram, vel communiter putatam, non tenetur copulative eam ducere, vel dotare, sed sufficit, si ducat, aut dotet, n. 87. Quamvis si seducta, aut parentes ejus matrimonium recusent, teneatur eam dotare, n. 89.

Dos seductae assignanda regulatur juxta facultates parentum, et qualitatem puellae, ac viri, quem acquirere potuisset, n. 91, in foro externo debet dotari seducta, etsi jam habeat dotem, n. 92, et licet damnum passa non fuisset n. 93. Si damnum majus est, quam dos, plus restituere debet, n. 94, et seqq. Puellae nobili, aut specialibus qualitatibus naturae ornatae, ordinarie plus restitui debet quam ignobili, aut abjectae, n. 97. Caeteris paribus dives deflorator non tenetur plus dare defloratae, quam pauper, n. 99, et seq. Qui dotare non potest, tenetur puellam ducere, si ea velit, vel dotare quantum potest, si puella nubere ei nolit, n. 100, et seqq.

Quoad forum internum praecise attenditur damnum, quod puella ex injusta defloratione patitur, ita ut tantum restituere teneatur, quantum efficit damnum: si nullum damnum subsequutum est, ad nihil tenetur ante sententiam judicis, n. 76, et n. 102, et seqq. bene tamen post sententiam judicis, n. 77. In foro hoc satisfacti vir seductae equalis, si eam nubere velit, nec tenetur eam simpliciter dotare, n. 105. Solis importunis precibus seducens, in foro interno ante sententiam judicis ad nihil tenetur, n. 107. Qui sub ficta spe aut promissione matrimonii aliquam seducit, tenetur absolute eam ducere, n. 115, et seqq. Nisi vir notabiliter excedat conditionem puellae, et

hoc scivit puella, n. 121. Quod si tamen vir puellam sufficienter, v. g. juramento asscuret, quod non obstante disparitate conditionis eam ducere velit, si ad usum corpus praebat, tenetur eam ducere, n. 122, et seqq.

§ V.

DE EFFECTIBUS SPONSALIIUM, PRAESERTIM DE OBLIGATIONE EORUMDEM: ET MODO COMPELLENDI OBLIGATIONI SATISFACERE NOLENTES.

136. *Effectus sponsaliorum, qui?* — Notandum prius, plures ex sponsalibus provenire effectus, veluti, I obligationem eadem adimplendi, et per consequens nihil faciendi, quod adimplentionem impedire potest; II inhabilitatem durantibus primis alia sponsalia contrahendi; III impedimentum publicae honestatis. De primo effectu dicemus in praesenti: de secundo autem, et tertio in tit. *de Sponsa duorum.*

137. *Sponsalia quaevis etiam occulta obligant sub gravi culpa.* — Queritur itaque I. An, quomodo, et quando obligent sponsalia? Resp. I. Sponsalia graviter obligant, ita ut in foro interno mortaliter peccet, qui ea adimplere renuit, etsi clam nemine praesente, et ita contracta sint, ut nullatenus probari possint; nisi mutuo consensu dissolvantur, vel justa causa ea dissolvendi existat. Ita hodie cum divo Thom. in 4, dist. 27, q. 2, a. 1; Covar. p. I, *de Sponsal.* cap. 1, n. 2; Sanchez, *de Matrim.* lib. I, disp. 27, n. 1; Laym. lib. V, tract. X, p. et cap. 1, n. 3. Communis, ac certa, caretque controversia, arg. c. *Ex litteris*, 10, h. t. ubi mandatur episcopo, ut eum, qui sponsalia contraxit, ad nubendum prius « moneat; et si non acquieverit monitis, ecclesiasticis censuris compellat, ut ipsam (nisi rationabilis causa obstiterit) in uxorem recipiat, et maritali affectione pertractet. » Quae juris dispositio non tantum de sponsalibus juratis (de quibus loc. cit. est sermo) sed etiam de non juratis intelligenda venit; tum ob alia, quibus concordari debent jura v. g. can. *Atho.* 47, cau. 27, q. 2, ubi omnibus modis prohibetur, ne quis matrimonium contrahat cum aliqua altari jam desponsata; ita ut matrimonium cum tali contractum anathemate feriatur. Concordant et idem probant c. *Praeterea*, 2, et c. *Si inter*, 31, h. t. c. *De illis*, 7, *de Despons. impub.* p. 1, *de Sponsa duorum*; tum etiam ob rationem. Ratio enim conclu-

sionis de omnibus sponsalibus in genere est; quia omnis promissio præsertim onerosa, ac mutua de re gravi, qualis utique est matrimonium, graviter obligat, et in utroque foro servanda est, c. 1 et 3, de *Pactis*.

138. *Etiã qui absque re promissione alterius promisit matrimonium, tenetur promissum servare: Remissive.* — Ex hac ratione desumitur, quod etiam graviter obligetur quis ad nubendum illam, quæ mutuo non repromissit, consequenter vera sponsalia non contraxit, sed tantum promissionem accepit juxta dicta supra n. 17.

139. *Solvitur instantia contra obligationem sponsalium.* — Nec obstat l. 1. c. de *Sponsal.* ubi dicitur: « Alii desponsata renuntiare conditioni, et nubere alii non prohibetur. » Resp. enim textum illum intelligendum esse, « quod dissolutis sponsalibus de futuro licitum sit alteri nubere; » prout in terminis ibidem explicat *Summarium*, et ita interpretari jubet concordantia juris non tantum canonici, sed et civilis, l. *Juris gentium*. 7. § *Ait Prætor*. 7. ff. de *Pact.* ibi: « Ait prætor, pacta convent, quæ neque dolo malo, neque adversus leges, plebiscita, senatusconsulta, edicta principum, neque quo fraus cui eorum fiat facta erunt, servabo. » Quod si contendas, sponsalia de lege civili non obligare: Resp. eam esse correctam a jure canonico per textus citatos n. 137. gravem obligationem manifeste indicantes.

140. *Sponsalia obligant etiam, ne quid fiat, quod matrimonium impedire posset.* — Inferitur sponsalia indirecte graviter etiam obligare, ne quis absque justa causa faciat quidquam quo impediri, aut plus justo differri possit matrimonium ob sponsalia debitum: eo quod universaliter omnis contractus non tantum obliget ad præstandum id, quod promissum est; sed etiam ad abstinendum ab omni eo, quod debitæ executioni promissi adversatur, Palao de *Sponsalib.* disp. 1. pun. 7. n. 3. cum communi per *varia*.

141. *Sponsalia obligant tempore ad nubendum præfixo. Dies interpellat pro homine. Mora sua cuilibet est nociva.* — Resp. l. si in sponsalibus certum tempus determinatum fuit pro matrimonio contrahendo, illud observari debet, nisi justa causa excuset. Ita communis, ac certa, caretque controversia, arg. l. *Solutum*. 85. ff. de *Solution.* ibi: « Solutum solvitur non minus quantitate quam die. » Ratio est; tum quia « contractus ex conventionem legem accipere dignos-

cuntur, » c. 85. de *Reg. jur.* in 6; tum quia pacta justa servanda sunt, l. penult. c. de *Pactis*. Procedit conclusio, etsi in hoc casu pars altera non urgeat; quia « Dies statuta interpellat pro homine, » c. fin. de *Locat. conduct.* Hinc si ob culpabilem moram unius pars altera damnum patiat, damnum ei resarciri debet; Nam « mora sua cuilibet est nociva, » c. 25. de *Reg. jur.* in 6.

142. *Ex causa licet differre sponsalia.* — Dicitur tamen notanter in conclusione nisi « justa causa excuset; » cum enim ob hanc sponsalia omnino solvi possint, *Ex litteris*. 10. h. t. ibi: « Nisi rationabilis causa obstiterit; » et magis patebit ex dicendis § seqq. multo magis ob eam differri poterunt.

143. *Si nullum tempus a determinatum est, sponsalia statim obligant. Obligationes indeterminate factæ statim stringunt.* — Resp. III. Si nullum tempus determinatum est, per se loquendo et ex natura sua sponsalia statim obligant, ita ut quamprimum commode ac humanitus fieri potest, adimpleri debeant, etiamsi ab aliqua ex spondentibus parte monitio, aut requisitio non fiat. Bosco in *Theolog. sacram.* p. 5, disp. 11. sect. 1. concl. 2. n. 14; Pontius, lib. XII. cap. vi; Castro Palao, disp. 1. de *Sponsal.* pun. 7; Sporer, ubi supra, n. 420; Coninck, disp. 22. n. 2; Ledesma, de *Matrim.* dub. 13, et alii contra Sanchez, lib. I. disp. 28, n. 2. Pirhing, h. t. n. 25; Dianam, part. III, tr. IV, resolut. 245. et alios volentes, nullam ex spondentibus partem antea teneri ad servanda sponsalia, et actu nubendum, quam cum pars altera id petat, et exigat. Probatum autem conclusio nostra x 1. In omnibus. 44. ff. de *Reg. jur.* ubi habetur: « In omnibus obligationibus, in quibus dies non apponitur, præsentis die debetur, » et l. *Eum qui*. 41. § *Quoties*. ff. de *Verb. Obligat.* ibi: « Quoties autem in obligationibus dies non ponitur, præsentis die pecunia debetur, etc. Verum dies adjuncta efficit, ne præsentis die debeatur. » Ex quibus ultimis verbis clare liquet, solam adjectionem diei, seu determinationem temporis (et non taciturnitatem alterius partis, ut vult Sanchez) facere, et efficere, quod statim, id est, pro prima opportunitate non obligent sponsalia; consequenter si dies aut tempus determinatum non est, statim obligabunt.

144. *Probatum a paritate voti.* — Confirmatur a simili in voto, quod obligat pro prima opportunitate, nisi fuerit certus ter-

minus præfixus; ut omnes etiam adversarii admittunt, patetque ex illo *Deuteronom.* xxiii, 21: *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Accedit ratio, quia alias, si votum sine determinatione temporis factum, non statim pro prima opportunitate obligaret, non posset designari tempus, quo obligare incipiat; consequenter nunquam obligaret. Et hæc obligatio de voto maxime procedit in illo, quo quis pro toto vitæ tempore ad aliquid se obligat. Hinc cum etiam sponsus promittat toto vitæ tempore conjugaliter vivere cum sponsa, et vice versa hæc cum illo, tenebitur pro prima opportunitate promissum adimplere.

145. *Solvitur instantia.* — Obiicies cum Sanchez, loc. cit. et sequacibus: in omni debito, cujus solutioni dies præfixa non est, debitor prius non tenetur solvere, quam fuerit requisitus a creditore l. *Debitores præsentis*. c. de *Pignor.* ergo; si nullum tempus sponsalia adimplendi determinatum est, ea adimplere tandiu non tenebitur una pars, donec ab altera requiratur. Nec valet paritas de voto assumpta, quia Deus per legem suam illico, ac votum sine certo tempore emissum est, executionem exigit: quod cum non fiat in casu sponsalium, paritas non currit. Resp. negando anteced., quia cit. l. *Debitores*. ex qua antecedens probare vult Sanchez, non de quovis debito, aut debitore, uti minus recte supponit Sanchez, sed solummodo de illis debitoribus, qui securitate debiti suis creditoribus pignora aut hypothecam dederunt, loquitur, et mandat, ut, si creditor talia pignora distrahere vult, prius denuntiet debitori, consequenter pro interno Sanchez nihil probat. Quod autem dicta lex præcise de præfatis debitoribus loquatur, patet non tantum ex rubrica tituli, qui est de *Pignoribus et hypothecis*, sed etiam ex ipso textu de legis, quem integrum exhibeo, et sic sonat. « Debitores præsentis prius denuntiationibus conveniendi sunt. Igitur si conventi debito non satisfecerint, persequenti tibi pignora, aut hypothecas, quas instrumento specialiter comprehensas esse, dicis, competentibus actionibus rector provinciæ, auctoritatis suæ auxilium impertri non dubitabit. » Ex hoc textu clare vides, quod lex non de omnibus, sed illis solis debitoribus, qui pignora dederunt, loquatur, et præcise disponat, creditorem pignora debitoris persequi non posse, nisi prius debi-

torum, si præsens est, denuntiatione moneat: consequenter pro incerto Sanchez, nihil probat.

146. *Pignus vendere non potest creditor, nisi prius moneat debitorem.* — Ad negatam paritatem de voto respondetur, quod, sicut Deus per legem suam, voti adimplerem statim exigit, sic pariter sponsalium adimplerem statim exigant sponsi (nisi de contraria voluntate eorum constet,) per legem continuo clamantem, ut « in omnibus obligationibus, in quibus dies non apponitur, præsentis die debeatur, » l. 14. ff. de *Reg. jur.*

147. *Probatum paritas voti.* — Dices: Verum quidem esse, quod præfata lex loquatur de debitoribus pignus extradentibus, nihilominus quia doctrina in principio legis tradita: « Debitores præsentis prius denuntiationibus conveniendi sunt, » universalis est, etiam de aliis quibuscunque debitoribus intelligenda venit. Resp. Hanc instantiam nimium, consequenter nihil probare: probaret enim, quod etiam in casu, quo sponsalibus certum tempus præfixum est, ad nubendum nulla pars prius obligaretur, quam ab altera requisita fuerit; cum prima illa citatæ legis universaliter loquentia verba huic casum non excipiant. Si dicis, de hujusmodi sponsalibus extare clara jura alia n. 141. citata, quod tempore determinato obligent: vicissim dico, etiam pro illis sponsalibus, quæ sine determinatione temporis celebrata sunt, extare clara jura n. 143. citata, quod videlicet statim, ac pro prima opportunitate obligent. Hinc, ut jura juribus concordemus, juxta c. *Cum expediat*. 29. de *Election.* in 6. dicere debemus, quod doctrina illa in principio legis *Debitores* posita, præcise intelligenda sit de debitoribus, qui dederunt pignus: præsertim cum dubius textuum sensus etiam ex rubrica bene desumatur juxta dicta in præc. n. 104. et jus minus clarum per magis clarum interpretationem accipiat.

148. *Quare pecunia mutuo accepta non statim iterum solvi debeat?* — Instabis: quando de determinatione temporis ad solvendum, pecunia mutuo, aut quid aliud precario datur, non statim ad iterum reddendum obligat: ergo idem dicendum erit de aliis obligationibus. Resp. concessio ant. negando consequentiam et paritatem. Disparitas est, quod si mutuatarius obligaretur statim iterum reddere mutuum, quando accepit, mu-

cum inutile foret : quod quia in aliis non reperitur, paritas cum mutuo non currit.

149. *Si ex circumstantiis colligitur, alteram partem libere consentire in dilationem, differri potest matrimonium.* — Urgebis : quando nulla ex spondentibus pars nuptias arget, vel exigit, censetur quævis obligationem pro prima opportunitate remittere, ac in dilationem consentire : ergo quando non fit requisitio, matrimonium licite differri potest. Resp. Distinguendo ant. censetur remittere, si tales adsunt circumstantiæ aut signa, ex quibus prudenter colligi possit, partem alteram dilationi consentire, conceditur. Censetur semper ac universaliter remittere, ex hoc solo, quod matrimonium non urgeat, negatur.

Concedimus ergo ipsimet, quod, si ex circumstantiis prudenter colligi possit, partem alteram dilationi libere consentire, prout revera persæpe colligitur, licite differri possit matrimonium : negamus autem ex taciturnitate alterius talem consensum semper præsumi posse ; consequenter, donec requisitio fiat, obligationem ad matrimonium actu ineundum non currere. Cum recente parte altera continuo clamet pro illo lex universim dicens, quod « in omnibus obligationibus ubi dies non apponitur, præsentis die debeat, » l. *Eum qui. ff. de Verb. obligat.*

150. *Sanchez adversarius videtur nobiscum sentire.* — Imo fatetur Sanchez ipsemet cum sequacibus, quod, si una pars aut obliviscatur, aut ex reverentia, vel alio timore non audeat urgere, aut petere, ut juxta sponsalium obligationem matrimonium pro prima opportunitate contrahatur, licet revera id desideret ; prout persæpe in fœminis contingit ; pars altera in conscientia tuta non sit, si matrimonium pro prima opportunitate actu contrahere negligit : ex quo utique liquet sponsalia sine determinatione diei celebrata, per se et ex natura sua obligare, ut pro prima opportunitate matrimonium contrahatur, etsi ab una partium non requiratur ; nisi ex circumstantiis prudenter colligere liceat, eam dilationi consentire, aut nisi justa causa differendi existat, prout habet conclusio.

151. *Ex dilato matrimonio multa oriuntur peccata.* — Cæterum placuit sententiam Sanchezii prolixius impugnare, et conclusionem nostram firmare, quia teste experientia ex dilatione matrimonii ob sponsalia præce-

dentia debili, plurima præjudicia, plurimaque oriri solent peccata præsertim fornicationum inter sponsos, quæ plane augeri videntur per sententiam dicentem, eos, qui sponsalia contraxerunt, tandiu non obligari ad actu ineundum matrimonium, quandiu una ab altera ad id non requiritur. Quod etiam considerans sacra Congregatio apud Gallemart ad concil. Trident. sess. 24. c. 1. provide sic statuit : « Monendi sunt sponsi, ut factis sponsalibus quamprimum contrahant matrimonium per verba de præsentis coram parcho, et testibus, ne sponsæ stupri periculum subeant. »

152. *Recusans matrimonium compelli potest et debet per debita juris media.* — Queritur II. An, et quomodo compelli possit ac debeat is, qui vigore sponsalium, aut ratione deflorationis, vel fictæ promissionis ad matrimonium ineundum obligatus, illud contrahere renuit, aut inique differt ? Resp. talem omnino posse, ac debere competentibus juris mediis ad matrimonium compelli, nisi rationabilis causa obstiterit. Sanchez, lib. I. *de Matrim.* disp. 29. n. 4 ; Bosco, in *Theolog. Sacram.* p. 5. disp. 11. sect. 1. n. 32. Gutierrez, *Can. quest.* lib. I. cap. xviii, n. 10. dicens, sententiam conclusionis universali totius Orbis praxi esse probatam. Castro Palao *de Sponsal.* disp. 1. pun. 8. Covarruvias, *de Sponsal.* p. I. cap. iv, n. 3 ; Abbas, in c. 2, h. t. n. 4 ; Layman, lib. V, tr. X, p. I. cap. i, n. 3, et 4 ; Pirhing, h. t. n. 17. cum communissima, et hodie certa aliorum, ita ut contraria opinio penitus derelicta, et universali tribunalium praxi adversa sit. Probatur ex c. 2. *de Adult. et stup.* ubi ille, qui ob stuprum ad ducendam stupratam obligatus renuit nubere, jubetur excommunicari, et sic indirecte cogi ad nubendum : et c. *Ex litteris.* 10. h. t. ubi Pictaviensi episcopo expresse mandat Papa, ut sponsalia adimplere renuentem compellat : ibi : « Fraternitati tuæ mandamus, quatenus si hoc tibi constiterit, eum moneas, et si non acquieverit monitis, ecclesiastica censura compellās, ut ipsum (nisi rationabilis causa obstiterit) in uxorem recipiat, et maritali affectione pertractet. »

153. *Etsi sponsalia juramento non sint firmata. Pacta et promissa servari debent.* — Nec obstat, quod sit c. 10. h. t. loquatur tantum de sponsalibus juratis ; tum quia ibi tantum narratur facti contingentia, non autem disponitur, quod ex solo juramento

consurgat vis aut potestas compellendi ad matrimonium. Sanchez, loc. cit. n. 4 ; tum quia subsequens ratio conclusionis procedit de omnibus etiam non juratis sponsalibus : videlicet, quod etiam ecclesiasticus possit ac debeat quemvis compellere ad reddendum cuique id, quod ei ex justitia debetur ; etsi juramento aliquo obligatio contracta aut firmata non sit, « per vulgaria » potestque, et debet non tantum jurantem, sed etiam simpliciter promittentem, aut contrahentem debitis juris mediis ad observandum compellere, maxime ad instantiam partis, c. 1. *de Pact.* ibi : « Aut inita pacta suam obtineant firmitatem, aut conventus (si se non cohibuerit) ecclesiasticam sentiat disciplinam. Universi dixerunt : Pax servetur, pacta custodiantur, » et c. 3. eod. ubi Summarium sic habet : « Judex debet studiose agere, ut promissa adimpleantur. » Ubi, ut vides, jura de quovis etiam non jurato pacto loquuntur.

154. *Objicitur instantia contra compulsivum ad nubendum.* — Objicies l. c. *Requisivit.* 17. h. t. ubi consultus Papa, quid faciendum de persona renuente adimplere sponsalia etiam jurata, respondit : « Quod, cum libera debeant esse matrimonia, monenda est potius, quam cogenda ; cum coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere. » Resp. In hoc texto vel ly potius sumi pro prius, ut sensus sit : renuentem nubere, potius, id est prius monendam esse, quam cogendam ; coactionem vero sequi primum debere, monitione nihil efficiente ; ut explicat hic Glossa, v. *Cum libera.* arg. cau. *Non invenitur.* 41, caus. 23, q. 4, vel textum loqui de casu, quo rationabilis causa obstat, ut si ex compulsione prudenter timenda forent gravia scandala, gravesque ac perpetuæ inimicitie ; prout communiter inquietantur doctores, et patet ex ratione textui subjuncta, videlicet, « quia coactiones difficiles solent exitus frequenter habere. » Et hac duplici responsione optime concordantur jura, salvaturque justa tribunalium praxis.

155. *Obligationibus facti, si æstimationem recipiunt, satisfit præstando interesse.* — Objicies II. In obligationibus facti nemo compelli debet, cum sufficiat, quod debitor interesse præstet, arg. l. *Stipulationes.* 72, § *Celsus.* ff. *de Verb. obligat.* ; ergo nullus ad matrimonium, utpote factum aliquod compelli potest, sed sufficet, si loco illius

interesse præstet illi, cui promisit aut alias debet matrimonium. Resp. cum Bosco, loc. cit., legem in antecedenti citatam locum non habere in iis, quæ æstimationem non suscipiunt, qualia sunt matrimonia, utpote spirituale quid. Hinc etsi sponsus v. g. dicat et offerat se, quod loco matrimonii debiti velit eidem certam summam pecuniariam, et etiam reliquum præstare interesse, non tenetur sponsa accipere, sed instare apud judicem potest, ut mediis competentibus renuentem cogat ad nubendum. Num autem, et quando pro remissione obligationis matrimonialis pars una ab altera prætere, vel accipere possit pecuniam, aut aliud temporale, dicemus infra n. 167, et seq.

156. *Media compulsiva ad nubendum, quæ et quis ordo ? Primo debet fieri admonitio.* — Resp. II. Modus, et media, quibus renuens contrahere matrimonium, ad quod vigore sponsalium, aut alia ratione tenetur, compellendus est, sunt sequentia : videlicet, ut judex renuentem ante omnia debito modo moneat, et adhortetur, adjunctis etiam minis, quatenus obligationi suæ satisfaciatur. Dein vero, si monitione nihil efficit, adhibere debet carceres, aut alias pœnas corporis afflictivas (si eas adhibendi occasionem habet) ac tandem, si nec his aliquid efficit, censura excommunicationis compellere debet. Primam partem, quod prius moneri debeat renuens, tenent omnes ob textum clarum c. *Ex litteris.* 10, h. t. ibi : « Moneas, et si non acquieverit monitis, etc. compellas, » concordat can. *Non invenitur.* 41, cau. 23, q. 4, ubi pro ratione et modo præscribitur, ut monitio severitatem præcedat.

157. *Secundo possunt, et debent adhiberi carceres, aut alie pœnæ, ante censuras.* — Secunda pars videlicet, quod monitione aut minis nihil proficiens possit ac debeat adhibere carceres, aut alias pœnas docet Fagnanus, in c. *Pervenit.* *de Adult.* a. n. 10 ; Barbosa, in *Concil. Trident.* sess. 25, cap. III, *de Reform.* n. 19 ; Mar. Ant. Genu. in *Pact. Eccles.* q. 780, n. 3 ; Castro Palao, *de Sponsal.* disp. 1, pun. 8, n. 2, qui cum communi et hodie certa asserunt, judicem ecclesiasticum in causis tam civilibus quam criminalibus ad se pertinentibus, omnino posse carceribus et aliis pœnis corporis laicos compellere, quin et debere hoc facere, antequam ad censuras excommunicationis aut interdicti contra eos in præfatis causis procedat.